

**Dissertatio medica solennis exhibens theoriam abortus et partus praecocis  
/ [Simon Paul Hilscher].**

**Contributors**

Hilscher, Simon Paul, 1682-1748.

**Publication/Creation**

Jenae : Muller, 1727.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/adydj5ky>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO MEDICA SOLENNIS

26

EXHIBENS

---

# THEORIAM ABORTVS ET PARTVS PRAECOCIS

---

QVAM

ADSPIRANTE DIVINI NVMINIS GRATIA

AVSPICIIS SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM  
SALANAE NOSTRAE NVTRITORVM  
MVNIFICENTISSIMORVM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM

ANGARIAE AC WESTPHALIAE ET RELIQUA

EX DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICAE

P R O L O C O

IN EADEM MORE

MAIORVM RITE IMPETRANDO

PVBICO ERVDITORVM EXAMINI

PROPONET

SIMON PAVLVVS HILSCHER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

---

AD DIEM

IANVAR. MDCCXXVII.

---

IENTAE, STANNO MVLLERIANO.



# THEORIA ABORTVS ET PARTVS PRÆCOQVIS

QVAM

ADSPICANTE DIVINO INVENIT GRATIA

AVSPICIS SERENISSIMORVM SAXONIAE DACVM

SALINAE HOSTIAE INTRITORVM

MAGISTRATISSIMORVM

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO

DOMINO

## GVLIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE IMPERII CIVIS MONIVM

AVGUSTAE AC VITISBAE ET RELIGIA

EX DISCRETO ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICAE

### P R O P O S I T I O

IN EADEM MORE

MAIORVM LITE IMPETRANDO

PUBLICO TRIVTORVM EXAMINE

PROPOSUIT

## SIMON PAVLVS HILSCHER

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD.

ED. VINDOB. A. MDCCLXXII

VENAE, STENO MULLERIANO.



## T H E O R I A

## ABORTVS ET PARTVS

## PRAECOCIS.

## §. I.

**N**e B. L. In limine dissertationis meae ambiguus hæreat, quid per abortum & partum præcoccem proprie significatum velim: statim exponere integrum erit, me per priorem, receptissimo loquendi usu, sensuque stricto, intelligere *foetus admodum immaturi, a primo nempe usque ad septimum gestationis mensem ex utero exclusionem præternaturalem, ab hujus, & sæpe musculorum abdominis, contractione adequata, viscerumque ejus compressionem dependentem.* Partus vero præcox innuit enixum foetus propius paulo ad maturitatem accedentis, adeoque vel septimestris,



vel octimestris, vel nondum perfecte nonimestris, ab eadem causa productum. Vernacula nostra actus prior das Unrichtig- oder Ubelgehen der Weiber; posterior vero das frühzeitige Gebähren appellari solet.

§. II.

Procul autem dubio abortus vocabulum originem ducit a voce aboriri. Ut itaque abortus frustra vel per errorem ortus dictus videatur. Priscis enim Latinis aboriri nihil aliud erat, quam intermori, occidere, contrarium videlicet τῷ oriri.

§. III.

Hippocrates aliique Græcanico ore loquentes rerum medicarum scriptores abortum vernacula sua φθορὰν, ἀποφθορὰν, διαφθορὰν, ἐκβολήν, ἀμβλωσιν, ἐξάμβλωσιν, atque ἐκτρωσµὸν appellare, licet cum quadam latitudine.

§. IV.

Minime vero abortus vox unam eandemque rem in foro medico denotat, sed varias admittit significationes. Modo enim ipsum actum intempestivi partus declarat, adeoque ad matrem potissimum refertur. Modo vero innuit ipsum objectum partus immaturi, foetum nempe minus magisque integrum, qui infelici fidere excludi solet, & cor-



corpus quasi delicti, si ita ad normam ICtorum loqui liceat, in hoc negotio constituit. Semper vero abortus vox relationem quandam infert: nullus enim immaturus foetus ex utero matris, sine hujus actione, ejici potest, neque in foemina actio, abortus nomine digna, institui valet, citra foetus immaturi praesentiam.

§. V.

Antequam ulterius progrediar, hoc loco prolixius paulo exponendum est, quod vox abortus ab aliis autoribus sensu latiori, ab aliis strictiori sumatur. Priori scilicet ratione intellecta eadem omnem foetus, ante finem noni a conceptione mensis, ejectionem, significat, adeoque partum praecocem sub se comprehendit: sicut ex antiquis apud *Hippocratem, Avicennam, & Trotulam*: (ipsa loca specialius allegante *Zacchia in Qu. medico-legalibus lib. I. Tit. 2. qu. 10. n. 12. 13. 14.*) e recentioribus vero apud clarissimos viros: *Sennertum, Brunonem, Bobnium, Rivinum*, aliosque, legere datur. Strictiori vero significatu innuit saltem exclusionem foetus ante septimum mensem contingentem, ceu cui, propter corporis sui ac vitae imbecillitatem, licet etiam non nihil viuis excludatur, breui iterum pereundum est;



est; & ideo, ut supra iam proposui, mulieres nostræ, verum abortum expressuræ, & non solum ad infelicitatem foetus, sed plerumque simul matris sanitati ac vitæ imminens periculum respicientes dicunt: *Es ist dieser Frau übel gegangen.* Stricto igitur hoc sensu abortus partum præcocem excludit. Omnes enim septimo, octavo & ante penitus completum nonum mensem utero egressi, præcoci partu editi dicuntur. Atque huc usque exposita arcta huius vocis significatio admodum multis, non solum medicis, sed & iuris interpretibus familiaris est. Plerique enim horum foeminam abortum fecisse perhibent, quæ ante mensem septimum peperit. Ideo Iurisprudentiæ pariter ac medicinæ peritus *Zaccbias l.c.n. 19. & 20.* inquit: Non obstaret, quod quis in sexto mense nasceretur, & per aliquot horas, aut etiam dies, viveret, ut fieri posse non est ita impossibile, quin aliquando non contingat, cum alias vivere posse dicatur foetus, qui per momentum vixerit: tamen quia hic partus, habet cum vita talem repugnantiam, ut vivere nullo modo possit, nisi ex miraculo, idcirco abortivus dici debet, neque testamentum, neque donationem rumpere, neque aliud quicquam illi prodesse, quod vero ac naturali partui prodesse solet: Sic & mulieri, talem foetum pari-



parienti, nihil quicquam prodesse debet, ita, ut ex ea causa, parientium privilegiis gaudere debeat, nisi iis, quæ corporis valetudinem respiciunt.

## §. VI.

Equidem non ignoro, quod quidam celeberrimi hujus ætatis Icti, imo & Medici quidam, partum quintimestrem & sextimestrem, si vivus & organis integris instructus prodeat, non pro abortu, sed pro vero atque legitimo iudicent partu, eique iura omnia ac privilegia competere contendant, sicut hanc opinionem foventium iurisconsultorum non minus, quam medicorum, catalogum recensuit *excellentissimus meus Collega D.D. Teichmeyerus in institutionibus medicinae legalis cap. IX. quest. VIII.* Quid de partu ante mensem septimum sit statuendum. Verum enim vero, salva horum virorum auctoritate, omnes foetus ante septimum mensem natos, sensu medico, pro abortibus habendos esse censeo. Nunquam enim, hoc tempore, tanto viscerum artuumque robore ac perfectione conspicuus excludetur foetus, qui in aëre nostro durare, & crassiori nutrimento corporis sui incrementum prolequi, multo minus absolvere possit, quin potius brevi spiritum iterum dimittere cogatur. Saepiuscule vero contingere



reor, quod foetus vitales & robustiores paulo exclusi, vel propter causas morales & civiles, vel ex errore calculi, circa imprægnationem commissi, immaturiores iudicentur, licet tales minime sint. Mea quippe sententia de foetuum termino vitalitatis, & frequentiori eorum vitæ constantia eo vergit, quod admodum raro ante initium, imo medium, mensis noni, utero exclusi sint superstites, experientia teste. Vix enim concipi potest, qua ratione foetus, qui ad tam notabile temporis spatium dulci matris nutrimento ac fotu blandissimo adhuc opus habuissent, eodem sine vitæ dispendio, vel notabilibus tamen ejus ærumnis, tam intempestive carere possent. Ideoque etiam artis nostræ *senex Hippocrates lib. de partu septimestri*, paucissimos e septimestribus superstites iudicavit, octimestres vero plane non, *libro de partu octimestri*. Circa hoc tamen Hippocratis assertum monendum est, quod, licet ex utroque mense natis admodum pauci vitam paulo diutius trahant, comparate tamen octimestres magis vitales existant, quam septimestres, experientia id non solum confirmante, sed & ratione suffragante. Quoniam tamen, per huc usque exposita, quidam, pauci licet, e foetibus septimo & octavo mense, atque ante medium noni natis, superstites sunt, & distinctio in-

ter



ter abortum & partum præcoccem, tam ex usu loquendi, quam recepta iuriconsultorum sententia, apud non paucos medicos quoque invaluit: Ideo eandem respuere nolui. Fateor tamen, quod sensu vere medico-practico omnis foetus, ante completum noni mensis finem exclusus, quodam modo pro abortu sit habendus, cum non legitimo, & a natura huic negotio destinato, tempore, natus sit. Eo enim medici Practici cura collineare debet, ut foetus non prius in lucem edatur, donec penitus exactis nouem mensibus plenariam maturitatem fuerit consecutus. Quam maxime itaque hoc de negotio arridet mihi consilium *B. Celeberrimi Rivini in Dissert. de abortu pag. mihi 613.* quo distinguere iubet inter forum ICtorum & medicorum. Sit ita, scribit, partum septimestrem dici legitimum, intuitu hæreditatis, aliusue iuris competentis; nondum tamen sequitur, ergo & legitimus est stylo medico, id est, legitimo natus tempore.

## §. VII.

Sed missis, quæ ad abortus vocis homonymiam explicandam faciunt, conuerto me ad definitionis realis expositionem. *Generis* vero loco in eadem posui exclusionem, siue excretionem ex utero præter natu-



naturalem; adeoque certo sensu tam ad symptomata actionis læsæ, & quidem depravatæ, respectu potissimum matris gravidæ; quam ad symptomata retinendorum referri potest. Exclusio est ex utero sensibus testibus: in hoc enim hætenus foetus hospitatus est; & quoad hoc cum partu naturali convenit. Præternaturalis vero dicenda; quia non fit tempore a natura exclusioni naturali præfixo, adeoque ratione huius circumstantiæ potissimum hæc actio est depravata, quæ talis dicitur, ita vna cum aliis medicinæ antistitibus docente B. *Illustri G. VV. VVedelio in pathologia dogmatica pag 447.* quando non fit eo modo, stricte seu proprie sumpto, uti debebat, sed ex.g. *μολὴν ὄντως*, male, vitiose, corrupte, ita, ut lædat, & afficiat simul corpus: id quod sane de abortu & partu præcoci dici potest, cœu in quo non solum sanitas matris periclitatur & læditur, sed quam maxime quoque ipsius foetus, magis minusve immaturi. Porro etiam depravata appellari potest hæc actio: quia fit *ἀπρεπῶς*, indecenter. Iuxta ordinem enim & decorum naturæ, si ita loqui liceat, decet, foetum maturum excerni, exacte completis novem mensibus, id quod vero hoc loco minus fit. Et licet foetus in abortu & partu præcoci modum utero exeundi naturalem observer, quatenus capite facieque



exeundi naturalem observet, quatenus capite facie-  
que prona exitum sæpe sortitur, & aliquando non  
æque notabiles eo matri creat molestias: attamen  
hæc exclusio, ratione temporis intempestivi, præ-  
ternaturalis est, talisque dicenda. Potest vero ab-  
ortus & partus præcox, respectu ipsius foetus im-  
maturi, per dicta, accenseri quoque symptomati-  
bus retentorum, quæ dicuntur quando retinenda,  
præter naturam, hoc est, vel quantitate, vel quali-  
tate, vel loco, vel tempore inconveniente excer-  
nuntur. Cumque excreta & retenta quoad speci-  
em sint vel solida, vel fluida, vel utilia, vel inuti-  
lia, eleganter adserente supra laudato *B. Vedelio, l.c.*  
sane non video, quo minus abortus & partus præ-  
cox, seu foetus immaturus, possit dici corpus natu-  
rale solidum & utile retinendum, quod intempe-  
stive h. l. excernitur, adeoque dictorum sympto-  
matum classem auget.

### §. VIII.

*Differentia specifica*, per quam abortus &  
partus præcox a vero partu, nec non mola, uteri sar-  
comate, vel portione placentæ uterinæ relicta dif-  
fert, desumta est in definitione *ab objecto*, foetu  
scilicet, magis minusve immaturo. Veri enim



partus objectum est foetus plane maturus; mola vero, quæ est massa inanimata, informis ac varia, sine ossibus ac visceribus, loco foetus, in uteri cavitate enata, adeoque nullo modo formam corporis humani referens, & per consequens foetus nomine indigna, proprie loquendo, non paritur, sed ejicitur vel excernitur, tanquam corpus præternaturale, & absolute inutile; id quod etiam valet de reliquis. Maxima vero cautela opus est, in accurate dignoscendo abortu admodum immaturo a mola. Sæpiusculæ enim mola & foetus simul in utero hærent, simulque etiam excernuntur, ut ita tunc temporis non solum abortus contingat, sed etiam simul molæ excretio. Sæpe etiam parvulus foetus sanguini congrumato inclusus ejicitur, ut ideo obstetrices aliæque foemellæ putent, nullum contigisse abortum. Sed, postquam talis massa in tepidam injicitur, sanguisque congruatus solvitur, corpusculum foetus cum secundina admodum parva, & funiculo umbilicali, non raro in conspectum manifesto prodit; sicut mihi, in juncta tali inquisitione adstantibus mulierculis, aliquoties observare licuit. Potest etiam mola vesicularis dicta, quæ nihil aliud est, quam globus membranaceus, aquoso humore repletus, citra tamen



tamen foetum contentum; quique non raro, plus minus vehementibus conatibus, e matricibus foeminarum excerni solet, facile cum abortu confundi: cum a non satis harum rerum gnaris foetum includere judicetur. Vice versa vero satis frequenter tales vesicæ membranaceæ re vera minimos continent foetus, sicut istarum consideratio sollicita detegit. Et tunc non molæ, sed abortus sunt. Sic *W. Bergerus physiol. medic. lib. 2. cap. 2. § 3. p. 468. § 475. testatur* se asservare vesiculam ovi columbini magnitudine, crystalloque lymphæ plenam, cum subnatante embryone, formicam majorem vel blattam æquante; & alium, ratione magnitudinis apem exprimentem, in ovo, magnitudine ovi gallinacei, lymphæ crySTALLINÆ non minus innatantem. Quis igitur ejusmodi tenerrimos embryones intempestive ejectos non habebit pro abortibus? Unicum igitur *ἡνιόμενον* veri abortus est præsentia foetus admodum immaturi, ita tamen, ut corpusculi ipsius partes possint dignosci. Admodum tempestive autem a vera conceptione, corpuscula foetuum intempestive ejectorum clare observare licet. *Clarissimus enim Mangetus Theatri Anatom. lib. 2. part. 2. cap. 3. tab. 79. fig. 3. § 4. mentionem facit foetuum 25. item 40. diebus conceptorum,*



rum, in quibus ex observatione Bidloo omnia membra exacte dignoscere integrum fuit. Nihil vero circa foetum immaturum, tanquam obiectum abortus & partus præcoci, refert, siue idem vivus, siue mortuus, excludatur. Respicitur enim hoc loco unice ad immaturitatem.

§. IX.

*Subjectum ut quod* actus pariendi intempestivi in genere constituunt foeminae justæ ætatis, ad concipiendum, & non raro plenarie nutriendum, gestandumque foetum *utero, seu subjecto ut quo,* aptæ, & quæ re vera concepere. Divina enim providentia in hunc finem sexui sequiori non solum peculiariora organa genitalia iniecit, sed etiam tali viscerum, chylum sanguinemque elaborantium, præstantia, instruxit, ut eadem non solum pro individui, sed embryonis quoque, paruique nati pueri nutritione, in gravidis & lactantibus, sufficientem humorum vitalium quantitatem præparare soleant. Ex his vero præ aliis sæpius fere abortus partusque præcoces sustinere solent plethoricæ, & extra conceptionem, largiorem mensium fluxum, vel heteroclitum, patientes; genus nervosum & membranosum debile habentes; importunioribus ani-



animi affectibus facile obnoxia; scorbuticæ, atque de cachexia magis minusve participantes; fluxus alvi diuturnos, dolores nephriticos, torminaque colica facile, vel frequentius, sustinentes, & quam maxime fluore albo conspurcatæ. Sed de his latius, & clarius, differendi occasio mihi enascetur, sub expositione causarum mediatarum.

§. X.

Appellavi in §. antecedente *abortus* & *partus præcoci* subjectum ut quo uterus: corpus nempe istud pyriforme depressum, atque cavum, substantiæ musculosæ, vasculosæ ac membranosæ, in pelvi, intra vesicam urinariam, & intestinum rectum, situm, per quatuor ligamenta ossibus ilii & pubis adalligatum; atque eum in finem a divino architecto ibidem positum, ut ovulum fœcundatum excipiat, foueat, atque tamdiu nutriat, donec in eodem delitescens futuri fœtus germen in perfectum & maturum fœtum, aeris & nutrimenti externi capacem, fuerit evolutum & transmutatum: quibus omnibus factis, in statu secundum naturam, a fœtus maturi potissimum mole, non raro vero & simul concurrente motu, nisuque, irritatum hoc novi hominis hospitium, concurrentibus



voluntariis matris conatibus, a fundo versus cervicem constringitur, adeoque hucusque gratus hospes per orificium internum apertum, & connexam vaginam, exprimitur. Atque idem hoc subiectum eadem fere ratione agit, circa abortum & partum præcocem, hac tamen cum differentia, quod 1) finem a natura sibi præfixum hoc loco non obtineat, sed undecunque intempestive irritatum, foetum, antequam necessariam maturitatem fuerit consecutus, expellat, ac dimittat: 2) in abortus valde parvi & immaturi expulsionem, dolores ac spasmi uteri ut plurimum leviores, obscuriores, imo segniores observentur, quam in partu præcoci, vel plane maturo: cum scilicet non tam valida constrictione uteri fundi ac corporis, orificiique interni apertura majori opus sit, ad foetum parvulum exprimendum, ac dimittendum. Habet igitur uterus, ceu subiectum ut quo, tam active, ratione scilicet constrictionis expositæ, quam passive, ratione dimissionis sui alumni, per hians orificium.

## §. XI.

Dum vero hucusque naturam *subiecti ut quo* abortionis exposui, simul innotuit, *causam ejusdem* & partus præcoci proximam atque primariam esse



*se uteri contractionem adequatam.* Hujus enim orificium aperiri sua sponte nequit, nisi fundum ejusdem contrahatur, & orificii, cervicisque, constrictio, a contractione fundi, corporisque uterini, superetur; sicque foetus exprimatur & dimittatur. Nam & valde immaturus ac admodum parvus foetus expressione opus habet; sicut satis, de contractione hac uteri in abortu, dolores spastici conjuncti, e regione lumbari, vel etiam lumborum basi versus anum pubemque; nec non a regione umbilici, atque hypogastrica, uersus eandem pubis regionem contendentes testantur. Constrictio vero hæc ut plurimum validior & magis dolorifica esse solet, quo foetus est maturior & grandior, eo obscurior vero & languidior, per dicta, si immaturior. Minime tamen assertum hoc universale, & tanquam constantis observationis promuntio. Aliquando enim, in solutione & expulsionem foetuum minimorum quoque, dolores exquisitissimi, maxime circa basin lumborum, & in regione pubis, cum hæmorrhagia admodum copiosa, observantur: sicut me hujus phænomeni testem *αὐτόπτην* crebriorem pronunciare possum. Adequata vero seu sufficiens uteri constrictio requiritur ad abortus partusque præcociis expulsionem.

Talis



Talis enim si non sit, etiam excretio foetus immaturi non contingit.

§. XII.

Licet vero abortus & partus præcoci causa proxima & primaria uteri constrictio sit recte a me allegata: nihilo minus tamen, tanquam concausa, sæpius concurrit constrictio musculorum abdominis, & viscerum hujus versus uterum compressio; sive ab irritatione aliquali spastica totius systematis musculosi & nervosi, ad foetus expulsionem, etiam præter matris voluntatem, contendentis; sive a nisu voluntario ipsius matris producta, quæ de impossibilitate, ad legitimum usque partus tempus, servandi foetus, certior reddita, ad suæ sanitatis, vitæve, propriæ tutelam, spiritum cohibendo, & abdomen contrahendo; adeoque viscera abdominis versus uterum urgendo, alumni sui exitum, intempestivum licet, promover.

§. XIII.

Causa contractionis uteri, adeoque *abortus & partus præcoci mediata proximior est ejusdem irritatio*: fibræ enim sese non contrahunt, nisi irritatæ vel stimulatæ. Facile vero uterus irritatur, cun



cum tam propter tunicam extimam nervosam, & intimam nerveo - tendinosam, quam in-  
textas fibras nerveas, a pari vago & nervis  
ossis sacri originem trahentes, notabiliter sensi-  
lis sit; & non solum per horum nervorum ramulos,  
sed etiam vasa, ligamenta, ac membranas, cum mul-  
tis abdominis partibus cohæreat, atque communi-  
cet; adeoque facile per consensum irritari, & affici  
queat.

§. XIV.

Lustrandæ igitur a me nunc veniunt causæ  
abortus & partus præcoci *mediatæ remotiores*, quæ  
nempe mediatam proximiorē solent generare,  
seu ad ipsius productionem, magis minusve, con-  
ferre. Triplicis vero ordinis in scholis medicis  
eædem vulgo statuuntur, nempe vel *naturales*, vel  
*non naturales*, vel *præternaturales*, quas omnes  
nunc breviter evolvam: initium ducendo a præter-  
naturalibus, ceu proximius ut plurimum concur-  
rentibus.

§. XV.

Inter has primo loco mihi ponenda videtur  
*plethora*, seu major sanguinis quantitas, quam quæ ad  
commodum vitæ usum in subjecto requiritur. A  
C sangui-



sanguinis enim mole nimia moleste tensa uteri, ejusque vaginæ, vasa, facile referantur, atque in matricis cavitate hærentis placentæ cum foetu connexio, vel sensim, vel cum impetu, non raro solvitur, sicque *hæmorrhagia uteri* concitatur, quam vel lentis, vel celerioribus magis, successibus, ejusdem constrictio, foetusque ejectio intempestiva sequitur, nisi in tempore ferri soleat, vel possit, auxilium commodum. Atque hæc a plethora gravidis ad abortiendum inhærens dispositio facile ad actum deducitur importunioribus earum, tum animi, tum corporis, commotionibus, multo magis abdominis rudioribus contusionibus, vel lapsibus in idem; diætæ vinosæ, aromaticæ & lautæ usu, vel potius abusu; veneris item delectatione frequentiori, ac intensiori. Contingit vero abortio a plethora, ut plurimum secundo, tertio quartove graviditatis mense, isto tempore, quo olim foemina non utero gerens menstruam excretionem est experta: repetuntque lubentissime abortus, plethoram pro causa agnoscentes, in foeminis iterum gravidis factis eodem tempore: idque eo certius ferre, quo propius primus abortus ad tempus, menstruæ evacuationi, eique copiosiori, dicatum, se applicuit, sicut id *Illustris Stablius* accurate observavit.



vit. Hoc autem monere necessarium duco, quod aliquando foeminæ plethoricæ gravidatæ experiantur primis menstruâs periodis modicam & placidam mensium excretionem, citra foetus noxam; pro nimia sanguinis copia imminuenda, donec foetus grandior factus majorem alimenti materni copiam in sui nutritionem convertere possit. Debet vero periodica hæc & salutaris mensium evacuatio in gravidis plethoricis probe distingui ab erratica, copiosiori & præternaturali. Ista vero cognoscitur 1) e termino catameniorum solenni; 2) quantitate cruoris minori, ejusdemque effluxu admodum pacato & lento, talique permanente; 3) absentia dolorum, similium doloribus partus; 4) orificio uteri clauso deprehendendo per contrectationem, fiente licet hac sanguinis excretionem: unde patet, laticem hunc e vagina, non vero ex ipso utero, tunc temporis, stillare. Minime igitur pro universaliter vero habendus est *Hippocratis Sect. V. aphoris. 60.* Si mulier gravida sit menstrualis, non potest sanus esse foetus. Confer. pluribus *B. Bohnii Diff. de abortu salubri.*

§. XVI.

Ex ante dictis vero facile fluit, & alias cognitu



gnitu facile est, quod tam ex utero, ejusdemque vagina, quam etiam alibi locorum contingentes, largiores, & graviores, hæmorrhagiæ, foetui debitum nutrimentum subtrahentes, ipsum debilitando, vel plane enecando, tristium sæpe abortuum, atque partuum præcocium, causæ existant. Quatenus enim in foetus mortuos nullum, a matre deciduum, nutrimentum deferri potest: debiles vero parum ejusdem in sui corporis conservationem adsumunt; nihilo minus tamen perennis affluxus sanguinis in laxata matricis vasa, spongiosamque ejusdem substantiam, contingit: aliter evenire non potest, quin graviter, licet ab initio paulatim sæpe, aperiantur irritata uteri vasa, ac tubuli, sanguinemque plerent: quare hujus parietes hoc pacto sese constringentes hospitem suum, hæctenus sibi gratissimum, nunc vero onerosum redditum, exprimunt atque expellunt.

§. XVII.

Et ideo clarissime nunc patet, quod *foetus, tam mortuus, quam valde debilis*, intempestivam sui ejectionem admodum frequenter, dicta ratione, efficiat; iste vero pondere simul inertis, & quandoque exhalatione foetida, atque acris, conjuncta.

Ex



Ex hoc vero amplius infertur, quod omnia ea, e  
causis præternaturalibus, ad abortum producen-  
dum conferant, quæ in foetu, vel enecando, vel  
valde debilitando, non otiosa sunt. Ad horum ve-  
ro catalogum præter dictas jam causas maxime re-  
ferre æquum est, omnes morbos grauiore, quibus-  
cum gravidæ conflictari tenentur, ceu a quibus  
harum spiritus atque humores vitales, tam in tem-  
perie, quam motu, graviter vitiantur, aut imminu-  
untur; & per consequens foetus vires prosteruntur;  
vel ipse etiam in matris corpore vivo, in quo vi-  
tam acceperat, extinguitur. Præ reliquis affecti-  
bus hunc censum subeunt *febres malignæ, & acu-  
tæ aliæ; in specie variolæ; dysenteria, motus con-  
vulsivi, & epilepsia exquisita, fluor albus, cache-  
xia, scorbutus gravior, fluxus alvi diuturni, vo-  
mitus tales, simulque vehementes, aliique.*

§. XVIII.

Quidam vero e dictis morbis, nec non  
multi alii, aliæque res præternaturales, grossio-  
ri quasi stimulo, tam immediato, quam me-  
diato, uteri fibras grauius irritando, eundem  
ad contractionem intempestivam, sufficien-  
tem tamen exprimendo foetui, sollicitant. Sic  
idem non raro præstant *scorbutus, fluor albus &*



*cachexia*, ob acrimoniam humorum, in iisdem sæpe notabiliter præsentem. *Vomit*us vero, *tussis*, *sternutationesque* *vehementes*, *casus ab alto*, *contusiones ac percussiones abdominis atque lumborum*, partim uterum concutiendo, partim viscera abdominis versus eundem urgendo, hoc animal in animali sat graviter irritant. Non minus *calculus renum atque vesicæ paroxysmans*, *omnis colica*, *alvus obstructa & varia intestinorum tormina*, *nec non vomitoria ac purgantia vehementia*, e praxi selecta proscripta, atq; *venena corrosiva*, partim propter connexionem partium affectarum cum utero immediatam, partim propter earum communicationem per nervos ac membranas cum eodem, non raro adeo notabilem irritationem in ipsum derivant, ut fortius sese contrahendo foetum intempestive ejiciat. Quorsum ante omnia quoque *mola* referenda est, tam simplex, quam multiplex, simul cum embryone in utero hærens, ceu quæ, si major & pondere gravior sit, matricem facile irritat ad sui constrictionem, & orificii interni relaxationem. Non raro etiam heteroclitarum sanguinis profusionum ex utero molarum conjunctarum causæ esse, & sic tam foetui nutrimentum, quam ejus incremento spacium sufficiens demendo, abortum & partum præcocem effice-



efficere solent. Sic testatur *Bartholinus Cent. III. Histor. anatom. I.* quod mola in foemina Hafniensi primæ notæ atque formæ, febre continua, mox vero in tertianam intermittentem degenerante, correpta, abortui post tertium mensem ansum dedit. Quod vero de mola jam dixi, valet etiam de portione placentæ in utero relicta; item sarcomate. In genere quippe spectat huc *mala uteri constitutio* e. g. Si idem sit nimis angustus, aut scirrhosus quodammodo, vel exulceratus. Talis enim uterus minus commode, & sufficienter, pro continendo foetu, expandi potest, quin ab extensione, cum notabili dolore, irritetur; adeoque se intempestive contrahat, foetumque expellat.

§. XIX.

Porro etiam eatenus considerari merentur causæ præternaturales non paucæ, quatenus utero facile, tam quoad corpus suum, quam orificium internum, laxitatem nimiam inferendo, eum ita disponunt, ut, ad leviolem etiam sui contractionem, connexio placentæ uterinæ cum utero solvatur, ejus orificium intempestive recludatur, adeoque foetus dimittatur. Hujus commatis sunt *fluor albus, uteri hamorrhagiæ frequentiores, & copiosæ, abortusque sæpius prægressus.* Per hos  
enim



enim affectus, & in specie per postremum, mirum quantum uteri tonus debilitari solet, idque eo magis, si foetus paulo grandior fuerit; ut ideo, nova succedente graviditate, vel lenissimus stimulus uterum ad irritationem intempestivam, foetusque ejectionem, sollicitare valeat, nisi idem in tempore extinguatur. Atque hoc meum assertum attentæ observationi medicæ apprime consentaneum est.

§. XX.

Parum vero refert, sive ab huc usque expositis causis abortus & partus præcoci præternaturalibus mediatis, primum irritetur vel foetus vel uterus: sufficit, quod prompte stimulus ab hoc in foetum, & ex hoc in uterum, propter arctam connexionem & communicationem utriusque, possit derivari, & sic uteri contractio, utraque ratione, effici.

§. XXI.

Post expositas causas mediatas præternaturales, considerare nunc lubet vulgo dictas *naturales*, quæ possunt dici certæ habitudines in subjectis, respectu quarum eadem ad hunc vel istum morbum, magis minusve, sunt disposita. Referuntur vero  
huc



huc communissime *temperamenta, habitus corporis, ætas, dispositio hæreditaria, atque sexus.*

§. XXII.

De sexu verba facere velle a scopo meo plane alienum esset: cum per se pateat, quod foeminae justæ ætatis sicut ad concipiendum foetum unice sint aptæ: ita etiam eædem solæ possint esse obnoxia abortui, ac partui præcoci. Ideoque primo loco temperamentorum mihi est injicienda mentio. Licet vero utique confitendum mihi sit, quod cujuscunque temperamenti foeminae non solum concipere, & foetum, usque ad legitimum partus tempus, nutrire possint; sed etiam, experientia teste, id toto die præstare soleant: attamen hoc vel istud foeminarum temperamentum, a certis rebus non naturalibus, earumque incongruo usu, & quam maxime quoque rebus præternaturalibus, ita disponitur ac vitiatur, ut facilius ansam det partibus intempestivis.

§. XXIII.

Sic *foemina temperamenti phlegmatici* ob copiam feri, laxitatemque pororum, & teneritudinem fibrarum carnosarum, facile fiunt cachecti-



cæ, vel in fluorem album incidunt; ideoque hac ratione ad abortum, ex hac causa in primis dependentem, præ aliis sunt dispositæ. Ut non longe commemorem, quod solutio placentæ uterinæ, & reclusio orificii uteri interni intempestiva, facilius in iisdem, quam aliis, contingere posse videatur.

§. XXIV.

*Temperamento sanguineo præditæ fœmina,* ceu præ aliis laudabili viscerum, chylum sanguinemque in copia conficientium, robore gaudentes, facile plus sanguinis in vasis ac poris concipiunt, quam corporis sui moli salutare est; & uno verbo, fiunt plethoricæ, nisi probe sibi prospiciant; adeoque ad abortum proclives. Ut taceam, quod non raro immodicis tripudiis, corporisque motionibus, juncta in primis diæta lauta & vinosa, plus justo sanguinem suum oleo serosum commoveant, & ita gravioribus hæmorrhagiis uteri fiant facile obnoxia. Ad hæc enim irritamenta malorum, venerisque usum nimium amplectendum, ab indole sui temperamenti facile stimulantur: nisi probe munita habeant pectora.

§. XXV.

*Temperamenti cholericæ fœmina* comparate  
sanguine



sanguinem calidiorem, acriorem & volatiliorem in vasis suis alunt, maximeque agiles possident spiritus; & ideo facile in hæmorrhagias, febres continuas, fluxus alvi biliosos, aliosque affectus, partum intempestivum prompte efficientes, per inconvenientem rerum non naturalium usum, incidunt. Corripiuntur etiam hujus temperamenti fœminæ, leui de causa, & frequenter, ab importuniori ira, & cum insigni spirituum commotione conjuncta ambitione.

§. XXVI.

*Melancholici temperamenti fœminæ*, ceu in quarum vasis sanguis comparate crassior, & acidoterreis particulis refertus rotatur, in primis, si idem abundet, & adsit status plethorico-melancholicus, ad lentas & nimias congestiones sanguinis, tam circa uterum, quam intestinum rectum, sunt dispositæ; ideoque copiosas hujus laticis profusiones, vel ex utero ejusque vagina, vel per vasa hæmorrhoidalia, etiam gravidatæ, non raro patiuntur. Ansam quoque dat hujus temperamenti indoles hæmorrhoidibus cæcis, tenelmo hæmorrhoidali, & aliquando uteri sarcomatibus, vel scirrho quoque, sub usu rerum non naturalium in-



cauto. Præterea ob sanguinem minus spirituosum, spirituumque paucitatem, metui & terrori graviori foeminas melancholici temperamenti frequentius obnoxias videmus. Hæc vero omnia, partim hucusque tradita, partim adhuc dicenda ratione, illætabiles abortus, partusque præcoces, non raro concitare solent.

§. XXVII.

Ratione *habitus corporis sui* intempestivas sæpe embryonum, foetuumque ejectiones, experiri coguntur admodum teneræ texturæ foeminæ; junceæ istæ atque graciles, & quas, e primo statim aspectu, genus musculosum, membranosum, ac nervosum, admodum debile possidere judicare possumus. Cum enim in his totum corpus nimis quasi subtile sit: etiam in iisdem, uteri, ejusque ligamentorum, ut plurimum nimiam teneritudinem, arguere par est; quæ vero in culpa, quod, licet ejusmodi foeminæ satis frequenter concipiant, nihilo minus tamen semper tere abortiant, ita, ut talis dispositio corporis admodum tenera sæpe sterilis conjugii causa existat. Ad levissimas enim vel corporis, vel animi, ἀταξίας, adeo prompte sensibilis irritatur uterus, ut alumnos suos delicatulos, etiam primis statim



statim mensibus, excutiat. Et licet aliquando, accuratissimo diætæ regimine ab ejusmodi grauidis observato, foetus usque ad septimum, vel octavum mensem, in hospitio suo retineatur: attamen tunc, corporis sui pondere ac mole, tenerum uterum ita tendit, ut, tensionis & irritationis impatiens, sese contrahendo, foetum expellat; quem etiam minus firmum, & ideo prompte ac sufficienter reclusum, uteri orificium, absque obstaculo, dimittit. Circumspecta vero circa hoc negotium observatio dicta nostra abunde corroborat. Ratione habitus corporis porro admodum obesæ foeminæ præ aliis aliquando illætabiles abortus, & partus præcoces, incurere solent: quoniam ab insigni viscerum infirmi ventris mole, ac pondere, uterus facile premitur, atque irritatur, nisi tono gaudeat robusto. Hic enim satis frequenter, in crassis foeminis, sui intempestivam irritationem, & contractionem impedit; ut ideo easdem quoque maturos foetus feliciter eniti non infrequenter videas.

### §. XXVIII.

Et quoniam, ratione ætatis, maxime habitus corporis, ejusque robur, variare solet, e jam dictis facile judicare integrum est, quod admodum ju-



venes foeminae, & quae e consuetudine cum maribus, jam ann. ætatis 15. 16. 17. concipiunt, ob uteri parvitatem, sui que, ac ligamentorum suorum, ténerritudinem, abortus, & partus præcoces, facilius sustinere cogantur, variis occasionibus se offerentibus, quam paulo provectioris ætatis foeminae; ob robur partium genitalium firmum magis, uterique & abdominis capacitatem decentem, causas occasionales abortuum varias felicius aliquando subterfugientes. Contra vero & foeminae annos aliquot 40. natae, & quae sæpius peperere, ad partus immaturos procliviores observantur. Hac enim ætate in foeminis, frequentius matribus factis, vigor spirituum imminui, tonusque uteri debilitatus deprehendi solet.

### §. XXIX.

Inter causas naturales denique non penitus reticenda est dispositio hæreditaria in foeminis ad abortus, & partus præcoces. Quemadmodum enim sæpe liberi, quoad corporum suorum staturam, robur, imbecillitatem, ac temperamenta, parentibus similes sunt; & ex hoc capite, vel felices, vel infelices, eorum hæredes fiunt: ita infelici hæreditatis jure, matrum dispositionem ad intempestivos partus



tus in filias quoque aliquando transire experientia edocemur. Tristes enim hi casus quibusdam familiis præ aliis magis familiares sunt.

§. XXX.

Ultimo loco me ad se vocat expositio *causarum non naturalium* vulgo dictarum: Hartum enim usus incongruus non solum causas præternaturales, supra recensitas, in corpore generare, sed & dispositiones in eodem jam latentes, sive causas antecedentes, in actum deducere solet: adeoque, hoc respectu, hæ causæ, procatacticæ, sive occasionales vocari quoque amant. Primo autem loco ex his commemorandus venit *aer*, ceu commune vitæ pabulum & fluidum catholicum, corpora nostra undique versum ambiens. Solet vero idem, si vel caliditate, vel frigiditate, vel humiditate, vel siccitate valdopere excedat, corpora gravidarum, tam inspiratione, quam transpiratione, valde alterare ac debilitare, ut inde quoque, in foeminis jam dispositis, foetus teneri lædantur ac periclitentur. In specie aer valde æstuosus, sanguinem nimis commovendo, facile hæmorrhagiis uteri ansam dat, humidæque ac spirituosas corporis partes dissipando, matrem gravidam atque foetum debilitat.

Immi-



Immite vero aeris frigus facile affectus spasmodicos abdomini & utero infert, aliaque ratione nocet, sicut etiam aer æstuans. Et ideo, in regionibus vehementer calidis & frigidis, mulieres facillime & frequentissime abortire solent. In primis vero ad frequentiores abortum solent conferre tempora anni inconstantia, nec suam servantia naturam, de quibus *Hippocrates III. aphor. 12.* scribit: Si hyems australis & pluvialis fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres, quibus partus in ver incidit, ex quacunque causa externa abortiunt. Siquidem, juxta explicationem elegantem *Galen*i, corpora humida ac mollia reddita, raraque per hyemem, ad internas partes aeris frigiditatem facile admittunt. Unde infantes, qui longo tempore aeris caliditati asueverunt, injuriam supervenientis frigoris nequeunt perferre: quare subinde calcitrantes, & sine ordine se moventes, vel solutionem placentæ cum utero solvunt, vel debiles ibidem fiunt, aut plane extinguuntur. Ad aerem vero, tanquam odorabilium effluviorum vehiculum, merito etiam referuntur omnes odores, his vel istis gravidis valde adversi, ceu qui facile spiritus gravidarum exagitando vehementius, passiones hystericas & uteri contractiones, adeoque



que intempestivas foetuum expulsionem concitare valent. Hæ enim foeminae nequeunt perferre odorem moschi, zibethi, ambrae; contra vero castorii, asae foetidae, aliorumque graveolentium; quorum tamen odor non paucas lædit, ut in specie candelæ non rite extinctæ.

### §. XXXI.

Ex *esculentis & potulentis* ad abortus & partus præcoces gravidarum corpora disponunt non adeo infrequenter 1) ea, quæ sanguinem nimis commovendo, vel alia ratione vasa uteri, vaginæque, stimulando, facile menses in iisdem promovent, aut erraticas uteri hæmorrhagias concitant: qualia sunt cibi multis aromatibus, & quam maxime croco, conditi, jus cicerum rubeorum, ac vina generosa. 2) Quæ facile inferunt fluxus alvinos atque tormina: quorsum referenda esculenta fermentescibilia & acria, nec non flatulenta, ut fructus æstivi in maiore quantitate assumpti, in primis, si superbibatur cerevisia vel aqua simplex: nec non cerevisia junior, non satis fermentata, per se quoque assumpta. 3) Alvum adstrictam relinquentia, ut castanæ in maiori quantitate absque butyro comestæ; aliaque. 4) Urinam fortiter pellentia, ut in specie succus betulæ. Potest vero & parca  
E nimis



nimis atque restricta victus ratio ad abortum conferre, quod congruo deficiente alimento foetus infirmetur; id quod in morbis acutis gravidarum sæpius contingere solet.

### §. XXXII.

Non minus inconveniens motus & quietis ratio, & quam maxime istius, tristes abortus & partus præcoces toto die provocare solet. Ad motum vero referenda omnis exercitatio immoderata, & violenta, ut elevatio ponderum, & extensio brachiorum in altum; item quæ cursu, saltu, chorea, nec non equo atque curru fit. Cui etiam a quibusdam accensentur casus ab alto, nec non percussio atque contusio abdominis & lumborum; licet hæc motus species præternaturales rectius dicantur. Omnibus vero his motibus uterus non solum immediate, quoad corpus & ligamenta sua, prompte concutitur ac tenditur, adeoque ad sui contractionem intempestivam concitatur: Sed &, propter nimiam sanguinis commotionem, ac placenta uterina ex uterinis tubulis separationem, facile admodum graves oboriuntur hæmorrhagiæ. Nimia vero quies, gravidarum corpora tam ad plethoram, quam cacochymiam disponendo, noxia est.

### §. XXXIII.



§. XXXIII.

Et quoniam in somno corpus quietum esse solet, apparet, qua ratione iste, si nimius sit, nocere queat. Vigiliæ vero nimis protractæ, virium resolutionem tam matri quam foetui inferentes, utrumque subjectum ita vitiant, ut, alia causa concurrente in primis, facillime abortus vel partus præcox contingat.

§. XXXIV.

Quinto loco e rebus non naturalibus considerari merentur *excernenda & retinenda ex & in corpore gravidarum*, ceu quæ, si non legitime fiant, utique ad abortum & partum præcoccem multum conferre solent. Sic circa alvum valde adstrictam referendam, per nîsum istum admodum validum, quo opus est, aliquando uterus tam graviter irritatur, ut foetum immaturum expellat. Sin vero alvus nimis liquida sit, talisque per pluri-um dierum, aut hebdomadam decursum, maneat, facile simul serum laudabile e corpore excernitur, foetusque ob alimenti inopiam debilitatur. Præcipue vero alvi dejectio, cum torminibus conjuncta, foetui periculosa est, juxta *Hippocratis Sect. V. aphor. 34.* Mulieri gravidæ, si alvus profusior sit, abortionis periculum imminet. Atque



hoc Hippocratis de alvi Fluxu pronunciatum maxime quoque applicari potest & debet ad incautam purgationem, quæ medicamentis purgantibus, vel per se vehementibus, vel majori dosi exhibitis, concitari solet.

§. XXXV.

Ad excernenda e corporibus gravidarum spectant etiam urina, & serum halituosum, per transpirationem insensibilem & sudorem dispellendum. Quod liquorem obscœnum attinet, hujus nimia collectio in vesica uterum gravidum irritare potest; Sicut etiam ejusdem nimia profusio, cum insigni stimulo conjuncta, idem præstare valet. Et ideo *diuretica fortiora* fiunt non raro *ἐνδόλια*. Urinæ vero non sufficiens in renibus facta secretio ad cachexiam, fluorem album, & hydropem; atque, per consequens, ad abortum quoque gravidas disponit. Transpirationis denique & sudoris negotium, vel excessu vel defectu peccans, varios morbos graves producit, qui vero, per supra dicta, facile abortuum & partuum præcocium causæ fiunt. Ex his vero simul patet, quod incautus usus *calidiorum sudoriferorum*, e. gr. camphoram in larga quantitate recipientium, & spirituum urinosorum, tam serum nimis e corpore dissipando, quam to-

tam



tam Mam Seam exagitando, hoc loco notari quoque mereantur.

§. XXXVI.

Ad retinenda vero in corporibus gravidarum, ante omnia, sanguis, tanquam liquor catholicus & vitæ thesaurus, referendus est. Hunc enim provida natura non solum in matris gravidæ, sed & foetus alimoniam tam studiose custodire satagit, ut, conceptione facta, ordinarie menstruæ hujus liquoris profusiones plane cessent. Quando igitur in gravidis, non plethoricis, vel menstruus fluxus continuat, & quidem ex utero in primis; vel, licet intermiserit, largius revertitur, facile supra exposita ratione partus immaturus concitatur. Nihil vero refert, siue hic fluxus vel a causis internis præternaturalibus, vel externis, & in specie ab usu *emmenagogorum fortiorum, aut sudoriferorum talium*, concitetur; id quod satis frequenter fieri solet. Atque idem judicium esto de V. S. extra statum plethoricum, eaque admodum larga, vel tali in pedibus administrata, aut repetita aliquoties. Per hujus enim incongruum usum non raro ab imperitis chirurgis foetus vel ante maturitatis tempus valde debilitantur, vel plane enecantur, ut



ideo abortus & partus præcoces contingant. In gravidis vero plethoricis mox suppressa menstrua evacuatio partibus immaturis ansam dare solet, nisi sanguinis copia onerosa per tempestivam venæ sectionem imminuatur. Huc etiam referendus est fluxus hæmorrhoidalis, qui, si vel nimius, vel valde dolorificus ac molestus sit in gravidis, facile etiam partuum intempestivorum causa fieri solet.

§. XXXVII.

Quam frequenter spem uteri, per immaturos partus, evertant vehementes animi affectus in gravidis, docet experientia, rerum magistra. Tristitia enim & metus insignis, figendo valde motum humorum & spirituum, si continuentur, foetus mirifice debilitare solent. Reliqui veros affectus, ut ira intensa, gaudium tale, ac maxime terror vehemens a valde irregularibus humorum & spirituum commotionibus stipantur, quas vel hæmorrhagiæ uteri, vel contractiones ejusdem spasmodicæ, vel motus epileptici, aut lipothymix in foetibus, vel matribus, vel utrisque, facile sequuntur. Ab his vero causis facilis est partus immaturus. Sic ante aliquot annos foemina hujus loci non infimæ notæ, a molosso in domo sua vehementer perterrita,



ta, mox vehementibus doloribus in basi lumborum & regione pubis, cum hæmorrhagia uteri admodum larga, corripiebatur, excernebatque embryonem, ratione longitudinis ultimum minimi digiti articulum non excedentem, omnes tamen corporis partes accurate exhibentem.

§. XXXVIII.

Delibatis nunc abortus & partus præcociis causis, tam proximioribus, quam remotioribus, *differentiæ abortionum* potiores breviter recensendæ sunt. Ratione temporis enim alia abortio fit primis, alia mediis, alia ultimis mensibus. Per aliam excernitur foetus crasso modo vivens, artusque movens; per aliam vero mortuus. Alia concitatur a causis internis, alia ab externis. Alia est comparate facilis, alia vero valde difficilis & laboriosa. Alia a lenioribus sti-  
patur symptomatibus; alia a gravioribus, ut hæmorrhagia insigni, lipothymiis, cordis palpitatione, &c. Alia fit ad normam partus naturalis, foetu capite, facieque prona, utero exeunte; vel tamen pedibus: alia vero, ratione modi exeundi foetus, valde præternaturalis est.

§. XXXIX.

His præmissis, ante omnia, de *signis abortu-*  
*um*



*um & partuum præcocium futurorum* exponendis sollicitus esse debeo, quo dextre medicinam facturus, sciat: an tristes hi affectus sint metuendi; adeoque in tempore eos declinare possit. Si enim abortio vel partus præcox, jam prælens, & in fieri, ut ita loquar, constitutus sit: tunc curæ præservatoriae nullus datur locus. Commodissime vero signa harum affectionum vel remotiora vel propinquiora statuuntur, quorum ista abortum & partum præcoccem facile contingere posse innuunt: hæc vero eundem proxime imminere significant, nisi tempestivum & sufficiens ferri possit auxilium.

§. XL.

*Signis autem abortionum & partuum præcocium paulo remotioribus* accenseri debent omnes morbi, a quibus facile tristitia talia gravidis evenire supra dixi, nec non causæ evidentiores mediatae huc usque expositæ. Eleganter etiam signa abortuum & partuum præcocium remotiora sive communia, ad præceptum B. & *Illust. VVedelii*, in *commentario in aphorismos Hippocratis ad Sect. V. apb. 37. & 38.* desumi possunt, a gravidarum mammis, colore faciei, & viribus corporis. Hæc talia enim de matribus & foetibus, vel bene vel male habentibus, egregie testari solent. De mammis Hip-  
pocra-



*pocrates* dicit l. c. Mulieri ingravidatæ si mammæ repente extenuentur, abortit. Solidatæ enim & turgidulæ mammæ in gravidis testimonium perhibent de sanitate earum, & per consequens quoque foetuum. Si igitur flaccescant subito, foetum debilem ut plurimum notant. Præter mammas vero foedus faciei color, & vires in gravidis prostratæ, perquam fidi sunt testes de pravitate succorum & debilitate spirituum in iisdem, adeoque & foetuum infirmitate. Circa hæc igitur phænomena maxime sollicitum esse decet medicum fidelem, quo spes uteri omni modo defendatur.

§. XLI.

*Certiora vero & proximiora signa solent esse, quæ circa lumbos, abdomen atque pubem se exerunt.* Ad hæc vero referri debent 1.) uteri hæmorrhagia, vel tempore, menstruæ evacuationi dicato, vel alio, eveniens; non brevi cessans, sed increscens; omnisque largior & impetuosa: de cuius vel salutaris, vel minus talis, signis & differentiis, supra sub causis, sufficienter exposui: 2.) dolores vagi crebrius recurrentes in abdomine, & ad sinum pudoris usque deorsum sese extendentes: 3.) gravitas lumborum & coxarum, cum qua concurrit segnities quædam ad motum: 4.)

F

len.



sensus insolitus ponderis in regione pubis, prementis uteri vaginam: qualis saltem circa partus tempus ordinarie adesse solet, ob uteri aliqualem descensum, foetusque situm immutatum, & declivem: 5.) cum his phænomenis conjunctus involuntarius egerendi ex utero conatus, qui, foetu majori existente, naturam verorum partus dolorum exprimere solet, adeo, ut, spe servandi foetus dejecta, ipsæ matres quoque hos naturæ conatus, in tempestivos licet, spiritum cohibendo, juvare teneantur, quo a sarcina sua eo citius liberentur. *Vid. & conf. Doctiss. Ettmüllerus in Opp. suis de abortu.*

§. XLII.

Quod si igitur egerendi ex utero conatus non tempestive iterum cesset, sed constans maneat, brevi abortus vel partus præcox contingit. *Recluditur* quippe sub his motibus *uteri orificium*, ruptisque membranis *aqua amnii effluit*, si foetus paulo major; simulque *plus minus copiosus sanguis excernitur*, si placenta quodammodo ab utero fuerit divulsa: adeoque sese contrahentes uteri parietes infelicem suum alumnum brevi cum secundinis exprimunt, & abortus vel partus præcox præsens est.

§. XLIII.

Operæ vero pretium est hoc loco tribus addere



dere verbis signa foetus immaturi, post medium in primis gestationis tempus, in utero jam mortui: ne hunc excernendum, tanquam foetum vivum, retinere allaboremus. Eundem vero jam exspirasse arguere possumus, si nullus amplius motus ipsius per aliquot dierum spatium a matre fuerit perceptus; hæc vero genitalia plus solito gravari, regionemque pubis frigidiusculam fieri sentiat, ac reminiscatur, se ex repentina aliqua, vel alia etiam causa subito inhorruisse, tunc talis horror est signum morituri, vel potius morientis foetus. Ubi ergo talem horrorem brevi post sequitur gravamen genitalium, certum est imminere exclusionem foetus mortui, inquit laudatus *Ettmüllerus l.c.* Si vero sanguis & aquæ ex utero effluentes simul foeteant, de foetu jam ante aliquod tempus extincto testari solent.

#### §. XLIV.

A signis abortus & partus præcociis diagnosticis converto me ad expositionem *necessaria circa hos affectus prognoseos.* Primo vero loco, ratione hujus, medicus scire debet, quando hi affectus præcaveri possint, & debeant: quando vero minus. Hunc autem eventum determinant signa conjuncta. Quod si enim harum infirmitatum



remota saltem a me dicta signa compareant, aut mitiora e proximioribus, non raro, per tempestivam & possibilem causarum remotionem, felix ab abortu & partu præcoci fit præservatio. Sic sæpe tormina abdominis varia in gravidis feliciter mitigantur, hæmorrhagiæ temperatæ sopiuntur, foetusque adeo roborantur, ut motum, quem ad tempus intermisere, iterum exerant. Elegans circa partum præcocem præservandum experimentum feci, proxime elapso vere, atque æstate, in fabri murarii uxore, ad cachexiam proclivi. Hæc enim quatuor ex ordine vicibus mense septimo & octavo, vel mortuos, vel mox post partum expirantes, exclusit foetus immaturos, licet gravida de corporis sui infirmo statu optimæ famæ medicos consuluerit. Sensit vero post tempus graviditatis medium varios in abdomine dolores, partim tensivos, partim contractitios, modo sursum, scrobiculum cordis versus, modo deorsum, pubem versus, vergentes, quos vero continuato usu mixturæ carminativo nervinæ, simul blande diuretici, adeo feliciter, a die decimo Aprilis usque ad decimum quintum Julii compescui, ut hac ipsa die, post penitus elapsam gestationis terminum, puerum vivum feliciter eniteretur, qui in hunc usque diem exoptata fruitur sanitate.



§. XLV.

Si vero graviora & plura e signis abortuum & partuum præcocium proximioribus adsint, eaque non tempestive ad præsidia commoda cessent; tunc nulla spes servandi fœtum est relicta. Imo longe præstat, sub his conditionibus ab irritis tentaminibus medicis, abortum præservandi sine susceptis, plane abstinere. Solent enim sub his vires matris & fœtus dissipari, & sæpe admodum graves ac periculosa concitari lipothymia, cordisque palpitationes. Atque hæc spes abortum vel partum præcocem arcendi plane frustranea est, quando ex hæmorrhagia uteri continuante, vel impetuosa, præsidiis convenientibus non cedente, divulsio placentæ ab utero judicatur. Hoc enim in casu tam per medicamenta blanda stimulantia, cum confortantibus temperatis exhibita, quam pro re nata ipsam manualet & providam extractionem, fœtus immaturi egressus ex utero est promovendus, ne tam mater quam fœtus, si hic adhuc vita gaudeat, in ejus præsentaneum discrimen adducantur: sicut hoc meum assertum *B. Celeb. Bobnius in diss. de abortu salubri*, eximio argumentorum pondere & multiplici experientia confirmatum dedit.

§. XLVI.

Huc usque dicta vero adhuc majori jure valent de abortu & partu præcoci, qui jam in utero vitam deposuisse judicatur. Hujus enim tempestiva expulsio ex utero nullo modo impedienda, sed, juxta artis medicæ potestatem, omni ratione, cum secundina sua provide promovenda est. Alias si talis fœtus diutius in utero hæreat, periculosi affectus in matribus, ut inflammatio matricis cum febris acuta, lipothymia, convulsiones atque deliria, facile suboriuntur. Vel, licet forsan unus alterue horum affectuum superetur, nec tunc mater commoriatur; attamen variis infirmitatibus chronicis, ut cachexia aut hectica plana sternitur via.

§. XLVII.



§. XLVII.

De periculo vero abortus in genere notandum venit, quod idem fœminis ordinarie majus inferat, quam legitimus & naturalis partus, propter causam nempe abortus præternaturalem concurrentem, & symptomata periculosa varia conjuncta, e dictis facile huc repetenda. Magis etiam periculosa & difficilis solet esse abortio fœtus mortui, quam vivi, istiusque simul majoris; quoniam nempe ob defectum motus & nîsus, qui in vivo adest, exclusionem sui promovere nequit, nec tam facile, quam minor, dimitti valet. Quo magis vero fœtus mortuus in utero jam computruit, eo graviora inde metuenda symptomata, per dicta. Tanquam generale denique axioma de periculo circa abortus & partus præcoces considerari meretur: quod quo graviores causæ abortum vel partum præcocem inferentes: quo graviora & plura symptomata conjuncta: & quo fœminæ gravidæ per se debiliores sint, eo etiam periculosior sit ipsa abortio, vel enixus præcox.

§. XLVIII.

Ultimo non intactum relinquendum est, quod prompte unum alterumve abortum & partum præcocem prægressum, facili de causa, plures excipiant, nisi iterum gravidatæ fœminæ sollicitam sui gerant curam. Per priores enim intempestivos enixus uteri tonus adeo infirmatus sæpe est, ut a levioribus stimulis facile gravius irritetur, & de novo conceptum embryonem excutiat. Aliquando etiam, post frequentes prægressos abortus, loco embryonum in fœminis, istos perpeffis, molæ & varia concrementa sanguineo-fungosa concipi, & cum notabili hæmorrhagia excerni solent: ita, ut aliquando fœminæ e frequentia abortuum antecedentium steriles evadant. Atque hæc de theoria abortus & partus præcoci commemorasse sufficiant.

Emendanda.

pag. 4. linea 2. pro *imminens* lege *imminens*. pag. 9. dele totam lineam primam. pag. 10. linea 18. lege *in aquam tepidam*. pag. 12. §. 9. linea 7. lege *sed etiam ipsum tali*. pag. 16. §. 12. linea 4. pro *concurrit* lege *concurrit*. pag. 22. lin. penultima pro *spacium* lege *spacium*.